

BX  
2215

AEP8247

**ADVENIAT REGNUM TUUM EUCHARISTICUM.**

‘Magister adest et vocat te.’

---

---

**STATUTA  
ASSOCIATIONIS SACERDOTUM ADORATORUM  
SEU AGGREGATIONIS SACERDOTALIS  
CONGREGATIONI SSMI SACRAMENTI  
A R. P. EYMARD institutæ.**

**(Priest's Eucharistic League.)**

---

Hæc Associatio a SSmo Dno Nostro Leone XIII. approbata et benedicta, a plurimis orbis catholici Archiepiscopis et Episcopis commendata, Romæ canonice erecta die 1<sup>6</sup>a Januarii 1887, ab Emo et Rmo Card Parocchi, S. S. Vicario generali, sequenti decreto definitive approbata est :

Lucidus Maria tituli S. Crucis in Jerusalem S. R. E. Presbyt. Card. Parocchi SS. D. N. Papæ Vicarius generalis, etc.

Cum ad vitam spiritus in sacerdotibus fovendam nihil aptius sit quam ardens eorundem in Jesum Christum sub sacramentali specie absconditum

amor, idcirco piam societatem sacerdotum, qui divinissimo Eucharistiae Sacramento et singulares agant gratias pro acceptis beneficiis, et adorationis actus exhibeant, et postulationes et vota pro Ecclesia sine intermissione offerant, Nos potestate Nostra ordinaria die 16. Januarii curr. anni 1887 *ereximus* et *canonice* erectam fuisse pronuntiavimus.

Eiusdem autem societatis constitutionem sex hisce capitulis consignatam ac sufficienti experimento dignam, quæ confirmetur, judicatam *definitive* approbamus.

Datum Romæ ex ædibus Vicariatus die 20. Augusti 1887.

LUCIDUS MARIA, *Card. Vicarius.*

August. CAN. BARBIELLINI, *Secretarius.*

### I. Associationis finis.

Pia hæc associatio Clero exclusive proponitur, et finem habet:

1° Ut ardens Sacri Cordis D. N. Jesu Christi desiderium impleatur, quo in Sanctissimo Altaris Sacramento optat visitari et adorari; convocando scilicet sacerdotes, ut frequentius veniant ad Christum Sacramentalem et vivant ex hoc Sacramento vitæ, in quo principium, gratia et finis Sacerdotii catholici reperitur;

2° Ut omnes sacerdotes aggregatos vinculis mutuæ caritatis uniat, qua eodem spiritu viventes sibi mutuum juvamen exemplis fidei et amoris erga Deum Sacramentalem præbeant, et participes fiant precum, meritorum et bonorum operum tot millium confratrum, qui ex toto orbe nomina piæ associationi dederunt;

3° Ut adoratores in spiritu et veritate et simul apostolos fortes gloriæ SSmæ Eucharistiae pariat, qui strenue laborent, ut fidem et devotionem fidelium erga Sanctissimum Sacramentum augeant, et populos sanctificant innumeris gratiis, quæ ab Eucharistia diminant, ut e fonte omnis virtutis et sanctificationis;

4° Ut meliores dies impetret Sanctæ Dei Ecclesiæ, adhibita una e viribus supernaturali bus potentissima, supplicatione innumerorum sacerdotum, qui ad pedes Domini Sacramentalis prostrati adventum Regni Ejus jugiter implorent in seipsis et in universo mundo.

5° Ut expient innumera sacrilegia a malis sacerdotibus SSmæ Sacramento illata.

“Sacerdotes sodales SSmæ Sacramenti Eucharistica Jesu Christi vita vivant, quæ præsertim in sui abnegatione et immolationis amore consistit. Memores sint se Regnum Domini Eucharisticum debere totis viribus tueri ac propagare, in mundum missi tanquam incendiarii amoris Ejus. Studia, zelum ac pietatem suam ad Eucharistiam constanter referant. Recordentur hoc sibi primum inesse officium, ut per seipsos adorationi vacent: “*Nos autem orationi instantes erimus*”, et ministerii sui fructum in oratione parandum esse atque firmandum. Dein vero ab Eucharistia ad populos descendant sicut Moyses a monte, Apostoli a cœnaculo, igneo zelo repleti ad verbum Ejus annun-

tiandum et gloriam promovendam: “*Orationi instantes... et ministerio verbi.*” Spondeant se in omnibus rerum adjunctis Jesu Christi causam et honorem amplexuros et defensuros, et consuetudinem visitandi Sanctissimum Sacramentum, necnon Sacræ Communionis frequentationem quantum potuerint propagaturos. Demum in cunctis suis actibus et ministeriis æterno Sacerdoti Jesu Christo uniti vivant, qui sacerdotii exemplum est et gloria.”

*R. P. Eymard.*

## II. Conditiones adscriptionis.

Quivis associationi adnumerari cupiens, satisfacere debet sequentibus conditionibus:

1° Ut sacerdotali charactere insignitus vel saltem in sacris Ordinibus constitutus <sup>(1)</sup> sit.

2° Ut ejus nomen et prænomen non abbreviatum in associationis catalogo describantur, quod omnino præstandum est ad indulgentias lucrandas.

3° Ut singulis hebdomadis *horam unam adorationis continuam persolvat coram Sanctissimo Sacramento* sive exposito sive in tabernaculo latenti. Dies autem et hora ad libitum relin-

---

(1) Alumni seminiorum, usquedum in associationem sacerdotalem possint adscribi, nomen dare possunt “*Aggregationi SSmi Sacramenti*”, quæ unam adorationis horam *singulis tantum mensibus* exigit, cum privilegio indulgentiæ plenariæ, si Sacram Communionem acceperint, aut secus, 7 annorum et 7 quadrag. — Quam indulgentiam quotidie lucrari possunt sub iisdem conditionibus.

quuntur et possunt pro ministerii exigentia singulis hebdomadis variari.

4° Ut in die adscriptionis specialem sui consecrationem Sanctissimo Sacramento faciat, cuius formula optioni cujusque relinquitur; una tamen indicatur ad tergum testimonii adscriptionis.

5° Ut in fine cujusque mensis assidue remittat directori *libellum adorationis*, de quo infra (III, 2) sermo erit.

6° Ut semel in anno Sacrum offerat pro confratribus ipso anno et antea defunctis.

7° Ut semel in mense indulgentiam horæ adorationis affixam applicet animabus confratrum, quorum obitus per "Annales" mensis elapsi renuntiatus fuerit.

### III. Associationis regulatio.

1. Unusquisque sacerdos adorator, cum associationi inscribitur, accipit aggregationis *testimonium* cum inscripta formula consecrationis SSmo Sacramento faciendæ, de qua supra dictum est.

2. Omnes sodales quolibet mense accipiunt "Annales" associationis, una cum *libello*, quod singulis mensibus remittere debent ad proprium associationis centrum, postquam in eo signaverunt peractas adorationis horas.

3. Omnia libella in centro associationis accepta omnesque commendationes precum,

thecæ inclusa collocantur coram SSmo Sacramento diu noctuque exposito ibique per totum mensem remanent in obsequium profecto Divino Cordi gratissimum, in testimonium amoris et fidelitatis sacerdotum Ejus, et ut jugis in eorum gratiam deprecatio.

4. Annua contributio pro associationis expensis offerenda assignatur \$1.00 pro quovis associato sine ulla exceptione.

**IV. Indulgentiæ a Summo Pontifice Pio IX. concessæ Congregationi SSmi Sacramenti et ad Associationem Sacerdotum Adoratorum extensæ.**

1. *Indulgenteria plenaria quotidiana*, quoties unam horam in adoratione transegerint ad pedes Sanctissimi expositi vel in tabernaculo reconditi, dummodo in hoc ultimo casu lampas in sanctuario accensa colluceat.

2. *Indulgenteria plenaria* in die adscriptionis in sodalitatem.

3. *Indulgenteria plenaria* in articulo mortis, si corde contrito sacrum Jesu nomen invocaverint.

4. *Indulgenteria plenaria* diebus festis Epiphaniæ et Corporis Domini, dummodo per aliquod tempus Sanctissimum devote adorent in una ecclesiarum Congregationis vel in ecclesia parochiali.

Meminerint associati in fine cujusvis horæ adorationis precari ad intentionem Summi Pontificis et pro Ecclesiæ prosperitate, ut indulgentiam plenariam consequantur.

Omnes prædictæ indulgentiæ animabus defunctorum per modum suffragii sunt applicabiles.

Præterea sacerdotes associati participant non solum in confratrum meritis, sed in iis etiam religio-

sorum SSmi Sacramenti et omnium aggregatorum  
in diversis eorum piis operibus.

---

Per Breve SS. P. Leonis P. XIII. datum 25. Jun. 1894  
concessa est omnibus sodalibus associationis facul-  
tas, anticipandi Matutinum cum Laudibus diei se-  
quentis statim elapsis duabus horis post meridiem.

### DECLARATIONS.

1. Nomen "Priest's Eucharistic League"  
idiomatis causa hac in regione adoptatum est.
2. Animadvertant sodales, horam unam  
adorationis continuam præscriptam esse. Non  
licet dividere horam adorationis. Brevis  
tantum interruptio necessitate urgente non  
impedit, quominus indulgentias lucretur so-  
dalis.
3. Hora ad intentionem associationis unice  
detur **adorationi** Smi. Sacramenti nec aliis  
finibus inserviat. Breviarii recitatio hoc tem-  
pore adorationis tunc tantum admitti potest,  
si fit cum continua applicatione ad Smum  
Altaris Sacramentum, quod perdifficile esse  
quisquis admittit. Meditatio referatur ad  
Smum Sacramentum. Quæcumque *adora-*  
*tionem* Smi Sacramenti haç hora præstandam  
impediunt, menti associationis aliena esse cen-  
senda sunt.

4. Adoratio fieri potest hiemis tempore in  
sacristia, immo etiam in domo; utrum indul-  
gentias tunc lucrari possit sodalis, si domi  
adorationem peragit, dubium est.

5. Adoratio potest fieri vel genuflectendo, sedendo vel stando juxta libitum. Non est necessarium, sodalem esse vestitum superpelliceo durante hora adorationis.

Advertant associati se uti posse licentia aperiendi sacram tabernaculum durante adorationis hora, dummodo sex cerei accensi super altare ardeant. — De Herdt, t. II, n° 65, I: “*Pro privata expositione solum tabernaculum aperitur, et sacra pyxis clausa sucque velamine obtecta populi oculis subjicitur...*” — III. “*Ad privatam expositionem neque publica causa neque facultas Episcopi requiritur; sed causa privata, ut alicujus infirmitas, aut alia privata familiæ necessitas, desiderium alicujus viri religiosi, etc., et consensus præfecti ecclesiæ sufficiunt.*” — Gardell. in Instr. Clem. § 36, nn. 2. 9 et 11. Animadvertisendum, quod Sacerdos non debet esse solus in Ecclesia.

6. Tempus, quo S. Viaticum fertur ad ægrotum, si horæ spatium explet, in casu necessitatis, pro adorationis hora sumi potest, nec non tempus devotionum publicarum coram Smo exposito, si per horam durant.

7. Sodales remittant diligenter libella adorationis ad directores diœcesanos; ubi nullus existit, ad directorem generalem. Scribant loco ad id destinato numerum certificati, nomen proprium cum loco residentiæ et diœcesi; dies, quo hora adorationis habebatur, signo X; dies, quo S. Sacrificium pro defunctis sodalibus offerebatur, signo XX notetur in serie numerorum, qui, dies mensis significantes, infra in libello inveniuntur. Non pos-

tulatur datum exactum, sed sufficit verosimile. In pagina altera scribantur intentiones precibus Congregationis Smi Sacramenti et associatorum commendandæ, si libet.

8. Si quis sodalis horam adorationis obire non potuerit una hebdomada, suppleat ipsam in sequenti; si hoc etiam non fieri potuit vel si per longius tempus ab hora adorationis detentus fuit, nihilominus libellum remittat, causa omissionis voluntariæ seu involuntariæ breviter indicata in ipso libello. Ipsa libelli etiam sine horis adorationis indicatis remissio consideratur ut intentio remanendi in associatione.

9. Si quis per dimidium annum libellum mittere neglexerit, iterum atque iterum benigne de obligatione præscripta a directore certior fiat. Si admonitione sæpius suscepta libellum non mittere persistit, supponetur ipsius voluntas non amplius pertinendi ad associationem, nomenque eius ex albo confraternitatis destruetur, quod a directore ipsi annuntiandum est.

10. Religiosi admitti possunt sodales confraternitatis permittentibus superioribus suis, si omnes obligationes quales cæteri sodales adamussim explet. Hoc religiosis in Statis Foederatis degentibus speciali privilegio concessum est per litteras directionis centralis datas Aug. 11. 1894. Libella et contributiones et ipsi mittant ad directores diœcesanos.

11. In contributione annua — \$1.00 — est inclusa subscriptio pro Annalibus associationis:

12. Litteris ad directores cum quæstionibus directis addatur semper “Postage Stamp” pro mittenda responsione.

13. Mutationes residentiæ quam primum sunt indicandæ directoribus.

14. Conferentiæ sodalium in diœcesibus subsunt permissioni Rmi Ordinarii, cuius etiam est, directorem diœcesanum nominare, si ipsi placet, ubi primum plusquam 12 sodales nomina dederunt associationi.

15. Indefesso zelo current reverendi sodales, ut novos semper lucentur Domini N. Jesu Christi adoratores, et optime sciant, Illum, qui dat velle, dare etiam gratiam efficacissimam perficiendi pro bona voluntate.

---

### ORATIONES.

O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulis Tuis, in spiritu sanctitatis Tuæ, in plenitudine virtutis Tuæ, in veritate virtutum Tuarum, in perfectione viarum Tuarum, in communione mysteriorum Tuorum, dominare omni adversæ potestati, in Spiritu Tuo ad gloriam Patris. Amen.

Indulg. 300 dierum, semel in die.  
Pius IX. 14. Oct. 1859.

## ORATIO

### RECITANDA POST SANCTUM SACRIFICIUM.

Domine Jesu Christe, hostia, rex ac cibus noster, sacerdotum Tuorum pars et hæreditas magna nimis, me totum hodie ac omnia mea Tibi in hoc Sanctissimo Altaris Sacramento libenti corde offero, consecro ac remitto. Dona mea ac bona, labores ac virtutes, studia atque sacrificia majori Tuæ gloriæ devoveo in perfecta mei ipsius abnegatione. Respice ergo, Domine, in indignum servum Tuum de hoc Tuo dilectionis et gratiæ Tabernaculo meque hodie accipias, habeas et serves ut rem ac possessionem Tuam. Me tandem omnesque sacerdotes, quos nostra præsertim pia unione aggregare dignatus es, veros divini Mysterii adoratores efficias atque fortes Ejus gloriæ zelatores amorisque propagatores, ut in nobis per Eucharistiam solus regnes et vivas, ac per nos adveniat Sacramentale Regnum Tuum in universo mundo. Amen.

---

IMPRIMATUR.

Dié 13<sup>a</sup> Octobris 1894.

† FRANCISCUS SILAS CHATARD,

Episcopus Vincennopolitanus.

## ORATIO POST ADORATIONIS HORAM

Domine Jesu Christe, qui secundum magnam misericordiam Tuam ministros Tuos et dispensatores mysteriorum Tuorum nos de mundo elegisti, Te humiliter deprecamur, ut nobis et omnibus sacerdotibus fidem et caritatem erga Mysterium fidei et Donum Tuæ caritatis adaugere digneris.

Fac, ut semper corde puro, conscientia bona et fide non facta hoc sacrosanctum tractemus Mysterium et cum plena fiducia ad thronum gratiæ Tuæ accedamus.

Concede nobis, qui jam non servi sed amici Tui dicimur, ut verba quæ loqueris nobis, ad pedes Tuos vel imo juxta Cor Tuum audiamus; ut in primis adorationi intenti spiritu et amore Tuo repleamur; ut ministerio verbi et animarum saluti vacantes omnia impendamus et superimpendamus ipsis pro gloria et honore nominis Tui; ut cor nostrum sit semper, ubi Tu es, thesaure noster: ita ut Te super omnia diligentes praeter Te universa bona ut stercora arbitremur; fac, o bone Jesu, ut per Te, de Te, in Te vivendo, vita Tua manifestetur in nobis et omnibus confratribus nostris: fac, ut ignem amoris Tui, qui in Eucharistia semper ardet nec unquam extinguitur, in cordibus omnium caritate ferventes accendamus: ut sic semper et ubique et ab omnibus ametur, laudetur, glorificetur Sanctissimum et Divinissimum Tui amoris Sacramentum.— Amen.